



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Fasti Mariani

**Brunner, Andreas
Pfeffer, Wilhelm**

Antverpiæ, 1663

B. Puer Constantinopolitanus. 25. Septembris.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41940

B. PUER CONSTANTINOPOLITANUS. 25. Septembris.

Quid hodie primùm miramur desipere hæreticos ? jam olim barbaros horum Magistros & ferulâ dignissimos ad rudem pueritiam erudiendos cælum ablegavit. Ita porrò Fulloni, qui Eutyche-
 ris cestro afflatus unicam tantùm in Christo naturam, adeoque mortalem Deum somniabat, doctorem puerum multò antè providit. Nam cùm sub Theodosii Junioris tempora terræ motu totus orbis, sed Constantinopolis potissimùm, VI. ipsos menses laboraret, præter nobilissima urbis adificia testæque & sacra & profana dejecta, animi insuper omnium ita sunt consternati, ut cùm ipso Imp. suo urbs urbem desereret, camposque habitaret. Illud tamen civium bono factum, quòd tellus sic mota mentes hominum non tam ad metum quàm pietatem movit. Ipse Theodosius Imp. in togâ privatâ sordidus & pede nudus dies noctesque Superos veniam sibi ac suis orabat. Inter hæc Puer innocentulus turbine raptus sublimis sub omnium & ex omnium oculis abiit, comesque huic unâ vulgi vox Kyrie-
 leison ivit. Hora non ampliùs abiit, cùm eadem viâ puer redit, narratque quod à cæli Choraulis cantari audierat
 Tri-

26. Sept. VITÆ SANCTORUM. 599
Trisagion. *Sanctus Deus, Sanctus fortis.
Sanctus immortalis, miserere nobis,* aitque
vetitum esse cæli consulto quidquam his
addi. Simul legatione suâ perfunctus ad
musicam suam moriens abit. Interea
Patriarcha voluit, ut voces auditas re-
peteret terra, cantuque etiam ipsa cælo,
quod provocaverat, responderet. Fa-
ctum, & Trisagion cantatum terram fir-
mavit trepidam; ut homines non jam
certasse tantum Superis voce, sed tunc su-
perasse videantur. *Ex Men.*

*Si accipientis munera taciti & imme-
mores fuerimus, tanquam ingrati & indi-
gni esrum subministratione fraudabimur;
ut Deum, quem beneficiis non cognovimus,
malis ingruentibus requiramus, & adver-
sis stimulemur ad rogandum, qui prospe-
ris gratiam non egimus ad fruendum.*
S. Max. de non tim. car host.

S. JUSTINA V. & M. 26. Septembris.

AN hodie suum parentes faciant, nes-
cio, olim parentum officium liberi
etiam fecerunt. Ita J U S T I N A à teneris
annis Christianus leges elàm edocta,
docere easdem parentes cœpit. Et jam
per matris ad pectus patris aditum sibi
fecerat; cum hunc nutantem jam in
partes Christianas visus per somnum ipse
CHRISTUS impulit. Itaque brevi
post mortus pater viam in acceptis filia
tulit.

P p 4